

gentes exercuerunt, id fecerunt de expressa licentia, & consensu Parochi, ut testantur plures Rectores Hospitalis, & deponunt testes in summ. Parochi numero 3, & 4. Per tales namque actus * de licentia Parochi gestos, nedum non fuit in aliqua parte læsum jus Parochi, sed eò magis illius iurisdicção confirmata remansit ad trad. per Lottier. de re benef. lib. 1, quæst. 33, nu. 74, & fuit dictum in Bonon. legatorum 22. Junii 1654. Tum gravamine coram R. P. D. meo Bichio, & regulare est, quod actus tribuitur mandanti, & ordinanti, cum in eo sit radicata iurisdicção, cui exercitium deinde profuit in exequentem c. super literis de rescript. Surd. conf. 29, n. 3, & 4, & conf. 255, n. 22. Cravet. conf. 44, n. 3.

Accedunt pro confirmatione prædictorum, depositiones testium examinatorum pro parte Parochi, qui concludunt Parochum, illiusque Ministros, Sacramenta ministrasse famulis, & aliis Ministris Hospitalis, prout etiam non mediocriter suffragatur concordia inita usque de anno 1613. inter eundem Parochum, & Rectorem Hospitalis, in qua cum legatur facta expressa reservatio juris parochialis, & certum est, quod prætendi non potest jus ullum Ecclesiæ Hospitalis quæsitum fuisse, sed illud totum ex peculiari reservatione remansit. Felin. in cap. inter Monasterium de re judic. Caputaq. decis. 19, part. 1. Rota in rec. decis. 419, nu. 3, part. 1, & in Tiburtina affectus 19. Junii 1648, §. neque subsistit coram Eminentissimo D. Cardinali Corrado, & in Cracovien. decimarum 27. Martii 1651, §. 1, in fine vers. corroborat præterea coram R. P. D. meo Verospio.

Non obstat quod in dicta transactione anni 1613, reservata fuerit facultas officialibus Hospitalis retinendi in eorum Ecclesiæ sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Missas celebrandi, campanas pulsandi, & cadavera tumulandi, unde eadem facultate uti modo posse prætendant Patres S. Dominici tanquam per emptionem subrogati in locum DD. officialium. Quia omisso quod, ut supra ponderatum fuit, transactio apparet facta cum expressa reservatione iurium parochialium, unde jus Parochi in hac parte nullo mandato lædere potuit; esto etiam quod in aliqua parte, per eam fuisset derogatum illius juri, transactio tamen non sustineretur ex defectu Beneplaciti Apostolici, & transactionibus super rebus Ecclesiæ semper requiritur Caputaq. decis. 106, per tot. Rot. in recent. decis. 755, num. 2, part. 2, decis. 241, num. 10, part. 4, tom. 2, & fuit dictum in Marsicen. iurisdictionis 18. Februarii 1647, coram R. P. D. meo Bichio, quod procedit etiam si transactum fuerit inter duas Ecclesias Rota in Acernen. Vicariæ 30. Martii 1650, coram Eminentissimo D. Cardinali Othobono, adeo ut nedum in Ecclesia successor sed etiam ipsemet transigens & nomine Ecclesiæ transactionem impugnare valeat ad text. in c. litera, ibique Abb. de dilat. Rota coram Seraph. decis. 1417, numero 3, & in recent. decis. 74, n. 4, part. 6, & in terminis transactionis fuit dictum in dicta Marsicen. iurisdictionis 18. Februarii 1647, §. nam, & 11. Decembris ejusdem anni coram R. P. D. meo Bichio, & in Cracovien. decimarum 27. Martii 1651, §. neque subsistit coram R. P. D. Verospio.

Præterea, Domini objectum transactionis ea etiam ratione refutarunt, quia si dicta concordia aliquod jus Rectoribus Hospitalis con-

cessisset, illud non transivisset in Patres S. Dominici, qui verè non sunt successores in Hospitalitate, sed solum in loco materiali Ecclesiæ, cujus contemplatione non fuit concessa facultas retinendi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & sepeliendi cadavera, sed ratione Hospitalis, & infirmorum ibi degentium, ad effectum scilicet, ut Sacramenta commodius dictis infirmis ministrari possent, & aliorum corpora de consensu Parochi humarentur, atque ita cum Hospitalitate ad alium locum translatum fuerit, * concordia resoluta remansit ad text. in c. veniens 8 circa fin. vers. mandans quatenus de transact.

Neque ex eo quod in concordia facta fuit mentio de Ecclesia, ex hoc inferri potest, illius quoque contemplationem fuisse habitam; quia concordia facta fuit cum Confraternitate, & Hospitali, non autem cum Ecclesia, & Confratres contraxerunt, & disposerunt tanquam de re sua, non autem nomine Ecclesiæ, ut ei jus aliquod acquireretur, ultra quod certum est, quod quando, prout hic, concordia & non continet beneplacitum Apostolicum, semper personalis censetur, & non realis, ad text. in dicto cap. veniens de transact. & ibi Abb. n. 2.

Hinc patet non applicari decisiones adductas ab informantibus pro parte Patrum, in quibus firmatur per secularizationem Ecclesiæ nihil innovari, & primæva Ecclesiæ privilegia conservari præter qualitatem regularitatis, quia conclusio habet locum in privilegiis, & iuribus competentibus Ecclesiæ, uti Ecclesiæ, non autem uti Hospitali, quia illo translato, sive extincto, cessant privilegia.

Non etiam bonum jus Parochi offuscari potest, ex eo quod Patres in dicto loco Conventum construxerint, qui ex privilegiis summorum Pontificum eorum ordini concessis, prætendatur exemptus, possintque in eo Ecclesiastica Sacramenta ministrari: nam quicquid sit de huiusmodi prætenis privilegiis satis pro responsione visum fuit quod huiusmodi erectio, & tanquam facta sine licentia Sedis Apostolicæ, prorsus nulla, & invalida reddatur ad text. in cap. 1. de excess. Prælat. in 6, & cap. unic. §. confirmatos ubi Gemin. n. 8, de Relig. dom. eod. lib. 6. Neque huic dispositioni sacrorum Canonum derogatum fuit per Sacr. Concil. Trident. sess. 25, cap. 3, in fin. dum disponit quod de cætero dicta loca non erigantur sine licentia Episcopi requisita per Concilium: nam non stat exclusivè ad licentiam Sedis Apostolicæ quæ prius requirebatur juxta dispositionem sacrorum Canonum, sed utraque & pro majori cautela requiritur, ut testatur Tamburin. de jur. Abb. & Monial. disp. 33, nu. 6, quæst. 1. Campanil. in divers. jur. Can. rubr. 12. cap. 13, n. 80. Adden. ad Rodriguez in compend. resolut. regul. resolut. 55, n. 1. Moder. Lusitan. de pot. Episcop. alleg. 26, nu. 4, & ad Conc. dict. sess. 25, cap. 3, n. 28, & firmavit Rot. in Januen. privilegiorum 24. Januarii 1648, coram R. D. Taraconen. & plenius ac magis expressè in Cracovien. foundationis Monasterii 19. Aprilis 1649, §. neque licentia cum duobus seqq. & 20. Junii 1650, coram R. P. D. Celso.

Sed nullitas huiusmodi foundationis magis clara, & incontrovertibilis redditur ex eo quod nec minus docetur licentia Ordinarii cum solemnitatibus præscriptis in const. Clemen. VIII. renovata à Greg. XV. const. 31, §. 3, & ab Urbano const. 25. in quibus prohibetur posse deveniri ad erectionem, foundationem, institutionem, nisi de expressa

12 expressa ordinariorum licentia, * & servatis in omnibus & per omnia sacrorum Canonum dispositionibus, ac auditis interesse habentibus, & hanc nullitatem foundationis ex defectu huiusmodi solemnitatum approbavit alia Rota in dicta Januen. privilegiorum 24. Junii 1647, & 24. Januarii 1648, coram Rev. Terrac. & 28. Junii 1648, coram Eminent. D. Card. Corrado & in dicta Cracov. foundationis Monasterii coram R. P. D. Celso.

Neque dicere valet, ut Constitutiones prædictæ emanaverint pro indemnitate mendicantium tantum, unde isti solummodo & non alii de tali nullitate oponere possint, quia contrarium colligitur ex illorum lectura, & signanter ex ea facta me. Clementis VIII. in qua signanter disponitur, quod citari debeant omnes interesse habentes, ibi & aliis interesse habentibus, & in specie quod Parochi sint legitime contractores & ad opponendum contra foundationem novi Monasterii, ac super tali prætensione audiri debeant tenet Lap. de Hospit. numero 35, vers. contrarium Guidop. quæst. 360, per tot. Moder. Lusitan. de pot. Episc. allegat. 26, numero 5, ubi in specie firmat quod ordinarius uti delegatus in dictis literis Apostoli. debeat diligenter animadvertere an erectio novi Conventus possit quovis modo Ecclesiæ Parochiali præjudicare, & si comperit præjudicium afferre, debet assensum omnino denegare.

Minus refragatur quod dictæ Pontificiæ Constitutiones quæ loquuntur de erectionibus Conventuum, non possint applicari Hospitalio, quale prætenditur esse istud, quod à Patribus S. Dominici de novo erectum fuit; Nam hospitium 14 * propriè dicitur illud, quod deservit simpliciter pro recipiendis Viatoribus, in quo non servatur forma regularis, ut declarat Tamburin. de jur. Abb. tom. 3, disp. 5, quæst. 1, n. 10. At in hoc loco habent Patres Ecclesiam, in qua publicè celebrant, campanas pulsant, Sacramenta ministrant, eleemosynas quæstuant, vivunt sub regularis, & obedientia Prioris; quæ signa præ se ferunt formam Conventus, & non solius Hospitalii Rot. dec. 115, n. 4, v. non obstat, & dec. 193, n. 5, v. non obstat pariter p. 5, rec. ubi in specie pro signo Convent. ponderatur, quod aderat Ecclesia.

Præterea admissio quod etiam dici posset hospitium, quum in eo, ut fuit dictum, extat Ecclesia, in qua Missæ publicè celebrantur, & Sacramenta exercentur, nec non eleemosynæ colliguntur, hoc sufficit, ut dictæ Constitutiones habeant locum, quia vigente eadem ratione & præjudicium debet etiam per consequens locum habere eadem prohibitio, ut bene Rot. dict. dec. 115, n. 4, & 193, n. 5, p. 5, rec. & in puncto Moder. Hifo. q. reg. in summa t. 3, verb. Monast. n. 6, quod intellige.

Demum non relevat, quod non versemur in constructione novi Conventus, sed in translatione antiquæ de hoc ad alium locum intra idem oppidum Mariti; quia omisso an prohibitio ædificandi, & de qua in dictis constitutionibus, comprehendat etiam translationes de uno in alterum locum ejusdem Civitatis, circa quod sententiam affirmativam amplexi fuerunt Tambur. de jur. Abb. to. 3, disp. 5, q. 1, n. 1, vers. in hac tamen re Rodrig. q. reg. to. 1, q. 23, art. 7, in fine Ric. decis. 168, n. 5, & 6, p. 4. Larrea dec. 97, per tot. Moder. Hifo. q. reg. verb. Monasterium n. 33, in fine.

Tollitur huiusmodi objectum ex facto, quia Conventus à quo dicitur facta translatio, non remansit desertus, sed in eo Patres permanerunt ac continuarunt sub cura, & dominio Prioris, uti prius, sicque patet non adaptari terminum

translationis, sed potius novæ acquisitionis, cum Patres, qui prius in oppido Mariti duos tantum Conventus habebant, nempe Conventum Atocha nuncupatum & Collegium D. Thomæ modo possideant tres, & in hoc casu, ut intrent dictæ Constitutiones editæ super constructione novorum Conventuum tradit Moder. Parmen. resolut. reg. contr. 36, numero 21, vers. 6.

Ex his itaque cum constet de invaliditate foundationis ex defectu solemnitatum requisitarum in dictis constitutionibus, unde sequitur ut Patres nedum sint destituti bono jure, sed etiam exclusi remaneant à manutentione propter decretum irritans & quod inficit non solum titulum, sed etiam possessionem, tollitque omnem juris effectum, ut in puncto foundationis Monasterii probat Ricc. decis. 75, n. 3, & 4, part. 2, & in dicta Cracovien. foundationis Monasterii 19. Aprilis 1649, coram R. P. D. meo Celso in fine. Et ita utraque &c.

DECISIO CXI.

R. P. D. BEVILAQUA.

Romana Dotis.

Lune 11. Februarii 1656.

SUMMARIUM.

- 1 Dos repeti non potest dum non constat de ejus solutione & numero 2.
- 3 Confessio mariti dotis receptæ præsumitur simulata, & n. 4. Antequam matrimonium numerationem probat n. 5. fallit ut n. 6. contra n. 32, & n. 23. Præsumitur vera si adsumt verba, in contenti, n. 7. Dotis receptæ probat numerationem si præsens sit promissio n. 11. Dotis receptæ ex inverisimilitudine præsumitur simulata nu. 15. Idem operatur quod numeratio numero 28. contra numero 29.
- 9 Prius, & posterius in eodem instrumento non datur.
- 10 Dotis ex constitutione non dicitur constare de numeratione.
- 13 Pecuniam fuisse numeratam cum renunciatione exceptioni dotis non numeratæ repugnant.
- 14 Inventarium probat non existentiam aliorum bonorum.
- 16 Simulatio arguitur ex consensu ubi non requirebatur & ex conjecturis n. 18. & n. 21. & n. 22. Arguitur ex rasura instrumenti n. 24.
- 17 Administrator de omnibus rationem reddere tenetur.
- 19 Confessionem dotis simulatam reddit præmissio reinvestmenti.
- 20 Disparitas inter sponsus simulatam reddit dotis confessionem.
- 25 Instrumentum juramento, & Camerali obligatione vallatum habet paratam executionem; fallit ut numero 26.
- 27 Juramentum nihil operatur detecta simulatione.
- 30 Statutum forenses non afficit.
- 31 Minor dotem recipiens sine solemnitatibus ad restitutionem obligatur. Declaratur n. 23. & 33.
- 34 Pater qui dotem non recepit, nec filio recipienti assensit non obligatur.

Mortuo Francisco, nec resoluta dubio his proposito super nullitate matrimonii inter ipsum, & Petronillam contracti, hæc dotem in instrumento sponsalium constitutam, & à D. Francisco confessatam instabat sibi restitui, unde supra

supra dicta die dubitandum fuit coram bon. me. Bichio. An constaret de credito dotali; & non constare fuit per DD. resolutum, nisi autem in ejus locum postea subrogato injunctum, ut decisionem extenderem.

Ratio, cui nitebantur, illa erat potissimum, quia pro parte Petronillæ non fuit doctum de hoc suo credito dotali, sine cujus justificatione nullum jus, nullaque actio ei competit agen diadversis hæredes mariti pro illius restitutione matrimonio soluto l. assiduis 12. §. cum enim ibi. Si tamen res ipsæ fuerint marito traditæ C. qui pot. in pign. l. si ex cautione 3. & ibi glos. in verb. probare C. de non num. pec. l. 1. ubi glos. in verb. instr. C. de dot. caut. non n. DD. in l. ubi adhuc 20. C. de jur. dot. Nicol. Bell. conf. 4. in princ. Menoch. de præf. lib. 3. præf. 12. n. 2.

Nec dicatur, quod imò probatum extat per publicum instrumentum, in quo Laurentius Petronillæ Avunculus dotem scut. 3000. monetæ de bonis hæreditariis Pauli Patris, & aliorum mille auri de suis propriis constituit, quæ Franciscus medio juramento habuisse, & recepisse confessus fuit, seque satisfactum, & contentum vocavit, ac de illis quietavit omni exceptioni non numeratæ pecuniæ, ac spei habendi renunciando cum obligatione in omnem eventum restituendo eam reddendi. Si quidem pro dotis numeratione non sufficit sola confessio viri de recepto emissa in instrumento, sed ex aliis exigitur, ut cum effectu constet de receptione, & cum dos, non quæ inaniter dotalium instrumentorum tenore transcribitur, sed quam realiter quis tradidisse docuerit, repræsentetur, ait text. in l. si quis post hac 9. & ibi glos. in verb. dotalium C. de bonis proscript. DD. in l. per diversas 22. C. mand. Rot. coram Card. Seraph. dec. 292. & 302. n. 1. & 2. & in rec. dec. 585. n. 2. p. 4. & dec. 55. & 335. ubique n. 1. p. 7. In tantum, ut non confuso de hujusmodi effectiva solutione, illa, de qua non nisi per dictam nudam confessionem viri apparet, & præsumitur simulata, & in fraudem donationis inter virum, & uxorem prohibita, tam de jure communi, ut toto tit. de don. inter vir. & uxorem. Rom. conf. 445. n. 7. Purpurat. conf. 461. nu. 3. Gozad. conf. 28. n. 22. Menoch. conf. 81. n. 15. Rot. coram san. m. Greg. XV. dec. 67. n. 1. & 2. dec. 55. n. 13. & 14. p. 6. & apud. Merl. dec. 419. n. 3. quam ex dispositione Statuti Urbis lib. 1. c. 135. quod se extendit etiam ad donationem præsumptam, & quæ resultat ex confessione, ne aliàs fraus inducatur, Corn. conf. 185. n. 5. lib. 2. & in specie Gabr. conf. 142. n. 2. lib. 2. Gratian. dis. for. c. 693. n. 8. Put. dec. 55. n. 2. lib. 3. in correct.

Non obstat, quod instrumentum dotale fuerit confectum, adhuc non contracto matrimonio, unde non præsumitur aliqua fraus, nec donationis titulum erga uxorem præ se fert confessio de dote recepta, * sed potius sub spe futuræ numerationis facta creditur, adeo ut si deinde permittatur labi tempus opponendi exceptionem non numeratæ dotis præstitutum in l. fin. C. de dot. caut. non nu. censetur verè soluta, & habet omnia dotis privilegia in mariti contentis, & aliorum præjudicium, ut tenent relati per Menoch. de præf. lib. 3. præf. 13. num. 14.

Quoniam non procedit conclusio quotiescunque ut in casu præfenti ex inspectione instrumenti, vel aliunde urgent conjecturæ, & præsumptiones tales, & quibus animus iudicis moveri potest ad arguendum de viri intentione fuisse dote sic confessatam sponsæ donandi, tunc enim secundum eas censenda est illius mens, & facta confessio juxta notata per glos. & DD. in Auth.

sed jam necesse C. de don. ant. nupt. Corn. conf. 520. sub n. 6. lib. 3. Alex. conf. 86. n. 1. lib. 7. Mant. de tac. & ambig. lib. 11. tit. 20. n. 19. Farin. de simul. & falsit. q. 162. n. 105. Rot. coram Penia dec. 201. n. 3. & penes Burat. dec. 108. n. 6. & in d. dec. 419. n. 4. coram bon. mem. Merlino.

Hic autem ex his, quæ gesta apparent in actu stipulationis Capitulum matrimonialium plures conjecturæ colliguntur, ex quibus suadet, dotem tunc non fuisse Franciscus soluta, nec animum habuisse illam deinceps consequendi, sed voluntate donandi confessus fuit eam recepisse; quarum prima, & præcipua, quæ totum instrumentum suspectum quoque reddit, illa est, quæ desumitur ex illius matrice, & originali Dominis offenso, in cujus parte substantiali, ubi de receptione dotis agitur, leguntur prius scripta manu D. Laurentii verba hæc, quali scudi il sudetto Sig. li tira à se in tanti giulj, e testoni & oro stampo in contanti, &c. e se li consegna, e borsa in contanti scudi mille similmente, quæ fuerunt postea à Not. rogato cassa, & loco illorum adjecta simplex confessio de recepto, ex quibus verbis antea adaptatis à Laurentio desumitur ejus animus reportandi donationem ad favorem neptis sub colore factæ numerationis, & cumque alioquin nulla possit adduci variationis causa, quinimò valde probabile sit, quod non fuissent priora deleta tanquam denotantia veram, & realem numerationem in majus sponsæ bonum, Bart. in l. si stipulat. 126. §. Chrysog. n. 23. ff. de verb. oblig. Grat. discep. for. c. 365. n. 36. Rot. dec. 193. n. 4. p. 3. dec. 33. n. 5. & 6. p. 4. & 10. 2. dec. 159. n. 10. p. 7. rec. Efficax conjectura insurgit tempore celebrationis pecuniam non fuisse solutam, & sic standum aliis verbis & per eundem Notarium scriptis, quæ pecuniarum interventum penitus excludunt, Grat. cap. 767. n. 24. Rot. coram Burat. dec. 512. nu. 9. bo. me. Merli. dec. 608. n. 20. & dec. 11. n. 10. & 11. p. 7. rec.

Neque etiam dicatur, quod solutio potuit Franciscus fieri ante stipulata Capitula matrimonialia, & idè confessio de recepto ibi subsequuta non dicitur facta animo donandi, sed recognoscendi dotis habitæ veritatem adversus quam non valet opponi non numeratæ dotis exceptio. Quia animadversum fuit alibi de dotis confessatæ promissione non constare, quam ex ipsismet Capitulis in instrumento, in quibus habetur, quod Franciscus Petronillam in uxorem ducere promittit, & dotem, quam Laurentius tunc sibi de bonis hæreditariis Pauli, & propriis, ut supra constituit, illic fatetur recepisse. Cumque in eodem instrumento * non detur prius, & posterius, sed omnia simul, & semel eodem momento vires suscipiant, & perficiantur. l. contract. 17. & ibi. Bart. n. 4. C. de fid. instr. & in l. lect. 40. n. 9. & 18. ubi etiam Cagn. n. 129. ff. si cert. per. Rota dec. 765. n. 8. p. 1. div. necessario sequitur, quod ex sola dotis constitutione ibi facta & inferri non possit ad illius numerationem, Rota dec. 55. n. 2. p. 6. rec. Sed oritur suspicio confessionem dotis receptæ fuisse simulatam ad text. in l. ab Anast. 23. & ibi Bald. C. mand. Rom. sing. 26. Burf. conf. 175. n. 2. Farin. de simulat. & falsit. q. 162. n. 146. Non enim sufficit, ut dos censetur soluta per confessionem de recepto, quod promissio & fiat eodem tempore, quo intercedit confessio, & unico contextu omnia sequuntur, sed opus est, ut promissio dotis confessionem receptionis præcedat, in contra. 14. §. sed quoniam C. de non nu. pec. Gabr. conf. 146. n. 13. & 16. lib. 2. Men. de præf. lib. 3. præf. 13. n. 21. Giovagn. conf. 26. n. fin. lib. 2. Fontanell. de pact. nupt. claus. 14. & ultim. glos.

glos. unic. part. 1. n. 31. Magon. decif. Floren. un. 68. n. 6. Gratianus dec. Marchia 103. nu. 12. cum tribus seqq. Rota, dec. 145. n. 1. post Pacific. de Salvian. Inverd. in Romana dotis 21. Februarii 1650. §. neque relevat, confirmata 29. Novembris ejusdem anni coram Eminentiss. Cardin. Corrado, Adden. ad Buratt. dec. 108. sub littera B.

Et ulterius, quod suspicari non possit id, quod in confessione continetur, contentem donare voluisse, quia lex hujusmodi largitiones abhorret, 12 & quamvis sequatur ante contractum matrimonium inter sponfos, cum semper illarum effectus conferatur in tempus initi matrimonii, sicque illæ & confessiones prorsus sunt invalidæ, l. 1. & l. quod sponsæ 3. Cod. de donat. ante nupt. & ibi Ang. in princ. Jalon in l. si divortio 21. sub nu. 8. vers. subdit. Bartolus, ff. de verb. oblig. Menochius de præsump. dict. lib. 3. & præsumpt. 12. n. 1. Sanchez. de matrim. lib. 6. disp. 9. n. 3. Molina, de contract. tract. 2. disp. 439. sub n. 8. Ancheranus, in c. 1. n. 5. vers. in gloss. fin. de adult. Gabriel. conf. 163. n. 12. lib. 2. Trentacinius, variarum resolutionum vol. 1. lib. 3. tit. de jur. dot. resol. 3. Surdus, conf. 196. n. 28. cum aliis adductis in d. Romana dotis, §. Tum quia conclusio.

Altera conjectura resultat ex eo, quod Franciscus statim post constitutionem dotis, & confessionem de recepto renunciavit exceptioni non numeratæ pecuniæ, ac spei amplius habendi: Quæ renunciatio arguit fictam, & simulatam illam fuisse taliter, quod de dicta confessione judicandum sit, ac de donatione inter virum, & uxorem, & excludit præsumptionem, quod putetur facta spe futuræ numerationis, cum hæc invicem se elidant, * quod quis confiteatur pecuniam fuisse numeratam, quam verè non habuit, & renunciet exceptioni de jure competenti talem assertionem impugnandi. Gabriel. conf. 142. nu. 6. lib. 2. Alexander, conf. 142. n. 5. libro 5. Romanus, conf. 44. Gozzad. ad conf. 28. n. 21. Nat. conf. 147. n. 4. lib. 1. Rota, coram bonæ memoriæ Buratt. decif. 925. n. 2. Penia, dec. 201. num. 4. & 5.

Tertio loco pro conjectura hujusmodi fictæ confessionis adducebatur inverisimilitudo, quod Laurentius erogaverit Franciscus pro dote Petronillæ hanc ingentem pecuniarum summam, ac ante stipulatum instrumentum matrimoniale manualiter exburaverit, nulla reportata quietantia, tam attenta hæreditate Pauli, in qua pecuniæ non remanserunt, rex quibus talis numeratio sperari possit, sed domus, & quedam credita, ut constat ex Inventario * dato, quod probat negativam existentiam aliorum bonorum præter ibi descriptorum, Decian. respons. 76. n. 2. lib. 3. Gratianus discept. forens. cap. 720. n. 6. 7. & 8. Rota decif. 510. num. 2. part. 5. recent. Quam dotibus constitutis Potentianæ, & Annæ ejus Sororibus, quarum primæ solum scut. 500. in contanti solvenda intra certum tempus fuerunt à Margarita matre promissa, Annæ verò fuerunt assignata tot stabilia ad scut. 2000. ascenden. cum quietantia alterius totidem summæ fuerit declarata simulata, nullamque esse illi fidem adhibendam. Et idè pecuniæ hæreditariæ fuerunt judicialiter consignatæ posterioribus Creditoribus viri Annæ, ipsa citata.

Ex cujus pecuniæ hæreditariæ deficientia, ac inverisimilitudine confessio * redditur multum suspecta, & animo donandi facta, l. si extraneus 44. ff. de donat. inter vir. & uxorem. Becanus, conf. 52. n. 79. Lauren. decif. Aven. 25. n. 15. Rota pe-

nes Comitol. dec. 86. Buratt. d. dec. 108. n. 9. 361. n. 9. & 925. n. 3. bon. mem. Merlin. decif. 419. n. 714. n. 27. Quæ simulationis conjectura valde augetur ex consensu, quem Petronilla venditioni Domus hæreditariæ Pauli Patris de anno 1651. factæ præstitit pro omni, & quocunque suo Jure, & interesse dotali, quod tunc, & in posterum posset super ea habere, ex quo colligitur ipsam optimè scivisse, dotem promissam non fuisse solutam, * nam aliàs consensus non requirebatur ad textum, in l. 1. §. denunciare ff. de vent. inspiciend. Gloss. in l. de unoquoque in princ. ff. de re jud. Rolandus conf. 92. n. 7. lib. 4.

Quarta conjectura multum considerabilis ex eo desumebatur, quod idem Laurentius Administrator hæreditatis * dicti Pauli, dum de annis 1635. & 1640. rationem de ea reddidit ad debitum illius posuit dotem traditam Potentianæ, de hac autem constituta Petronillæ nullam fecit mentionem; Et tamen cum uti talis de omnibus rationem reddere teneretur, l. 2. ff. de negotiis gestis, l. 1. §. officio, ff. de tutel. l. quædam sunt personæ, §. ff. de eden. Gregorius, decif. 30. n. 4. credibile non est, quod computare omiserit in sui detrimentum, quatenus verè, & realiter fuisset numerata, & hinc indicium evidens resultat, * Franciscum blanditiis, & amore ductum fuisse ad constituendam dotem non habitam pro soluta, l. ex facto 17. §. si quis autem, ff. ad Trebellianum, l. ob carmen 21. §. ult. ff. de testibus. Tiraquellus. in l. si unquam in præf. n. 37. Cod. de revocand. donat. Magon. dec. Lucen. 25. nu. 7. & 8. Rota penes Merlinum. d. dec. 419. n. 8.

Quinta quæ etiam urget conjectura est, quod in prædicto Constitutionis & solutionis dotis Instrumento fuit prætermisum * reinvestmentum illius, quod semper fieri consuevit ad eam assecurandam quando cum effectu recepta est, & fuit servatum cum viris aliarum Sororum, sed libera facta fuit solutio Franciscus Juveni minori, qui de facili poterat consumere. Et hæc quoque indicant simulatam esse dotis numeratæ confessionem, Baldus in l. 1. Cod. de serv. fugit. Add. ad Buratt. dec. 925. in fin. Merlin. in mox cit. dec. 419. n. 9. & 10. in recent. 55. n. 22. & 23. p. 6. & in alleg. Romana dotis coram Eminentissimo Corrado 21. Februarii 1650. §. 2. ex qualitate.

Sexta conjectura in præfenti optimè concludens deprompta fuit ex donatione scutor. 6000. quæ Franciscus ad augendam dotem usque ad scuta 10000. de proprio promissit, quæ tam magna quantitas in hisce conjugibus * non medio-20 cris disparitatis, nobilitatis, & divitiarum argumentum præbet donationis scut. 4000. in dotem assignatorum, l. creditor 20. Cod. de donat. inter virum & uxorem. l. 1. ubi gloss. in verb. auxerit, C. de donat. ante nupt. & in terminis advertit Gabriel. d. conf. 142. n. 24. & seq. lib. 2. Buratt. in d. decisione 925. sub n. 4. vers. neque est faciendavis, & tenuit Rota, in d. Romana dotis. §. Quoniam id procederet.

Septimam denique conjecturam recensebant Domini ex qualitate personarum, nam ipsius Petronillæ mater, ubi matrimonium cum Paulo Confalonerio contraxit, & dotem congruam non haberet, ab illo donationem pro se, & sororibus reportavit. Et ex sententia criminali ab A. C. promulgata, per quam Laurentius, & Margarita ejus uxor ipsa Petronilla, & alii reperti culpabiles in eo, in quo erant inquisiti, variis penis fuerunt afflicti: In hac enim materia, mores, * & solitum personarum similia gerendi, atten-21 duntur,